

Plebem marino in transitu
 Repurgat undis dulcibus,
 Lucis columnam p̄aeferens.

Hic praeliantē exercitu,
 Passis in altum brachiis,
 Sublimis Amalech premit
 Crucis quod instar tunc fuit.

Hic nempe Jesus verior,
 Qui longa post dispendia,
 Victor suis tribulibus
 Promissa soluit jugera.

Qui ter, quaternas denique
 Refluentis amnis alueo
 Fundavit, et fixit petras,
 Apostolorum stemmata.

Jure ergo se Judae ducem
 Vidiſſe testantur Magi,
 Cum facta priscorum ducum
 Christi figuram pinxerint.

Hic rex priorum judicum,
 Rexere qui Jacob genus,
 Dominaeque rex Ecclesiae,
 Templi et novelli, et pristini.

Hunc posteri Effraim colunt,
 Hunc sancta Manasse domus,
 Omnesque suspiciunt tribus
 Bissena fratrum semina.

Quin et propago degener
 Ritum sequuta inconditum,
 Quaecumque dirum feruidis
 Baal caminis coxerat.

Fumosa avorum numina
 Saxum, metallum, stipitem,
 Rasum, dolatum, sectile,